

Magnifico, Nobilissimo Consultissimoque Viro,  
**D. Tobiae Sculteto**

De Bregoschiz et Swanensee, haereditario in Hirschfeld, J. U. Doctori,  
Caesarei Palatii Comiti: sacrae nuper Caesareae, nunc etiam Regiae  
Majestatis Consiliario, fiscique regii per Silesiam et Lusatiam inferiorem  
Patrono, Fautori meo benevolentissimo.

Magnifice Nobilissimeque Vir.

Post conflictum hunc gravissimum uniuscujusque nostrum, qui sacramentum Imp. Caes. Rudolphi II. l. m., nuper humanis rebus exempti, suo quisque loco secuti sumus cum fortuna publica, qua duo regna nobilissima regnoque non minor Archiducatus Austriae dominum mutarunt; qua Germania Imperatore Romanorum, Christianus orbis Principe amisso, Imperatorem et Principem alium non obscura tamen destinatione circumspiciunt, postquam ex tumultu pugnae nos recolligendi, ex labore et terroribus respirandi, ex pulvere respiciendi tempus datur: cura merito duces et milites, cura patronos et clientes incessit, sese internoscendi, qua quisque fortuna fuerit usus interrogandi salutemque et incolumitatem invicem gratulandi. Et te quidem dignitas ipsa muneris commissi membris reip. Silesiaca sic innexuit, ut nec mali quid pati potueris incolumi patria, nec ignorari, quamvis nunc absens, a me possis: me vero, qui nullam reip. partem attingo, cum Rudolphus ipse Imp. l. m. cum parte meritorum meorum ad munus tibi creditum remisit tuumque clientem fecit, tum vero voce instruxit natura, qua inter palantes commilitones exaudiri requirique possem, ne cliens a patrono, plurimarum rerum provisione distracto, negligerer. Adeoque lubens equidem hoc te labore diutius inquirendi de hoc tuo cliente sublevo, sublataque altum voce significo, me vivere adhuc superis et vescier auris; neque patrocinio renunciare, quamvis Praga nunc Lincium transeam, regis auspiciatissimi concessu Maecenates illic habiturus illustres Proceres Austriae, ejusdemque Regiae Majestatis stipendia juxta meriturus.

Hujus vero vocis meae nuncium esse jussi libellum hunc Eclogarum Chronicarum, cum ut promissum meum nuperum adimplerem, tum vero maxime, ut Tibi patronorum meorum non postremo perque Te lectoribus ceteris rationem redderem temporis ab editione Commentariorum Martis consecuti, in quo praeter publica mala terroresque foris circumstantes etiam domum privatim meam non unum calamitatis genus pervasisse et coram vidisti et mecum ingemuisti.